



NOVA POSONIENSIA.

ANNO CHRISTI M DCC XXI.
DIE XXIV. SEPTEMBRIS.



Mirnæ, a. d. 19. Mai.
Diebus superioribus,
nauis multo plumbo
onusta, e portu no-
stro, Chium versus,
soluit, vt nauem
aliam, quæ ad insu-
lam illam hæret, lignis & materie alia
instructam, comitem sibi iungat, atque
Ioppen proficiscatur, resque eas illic
exponat, Hierosolymorum in vrhem
deuehendas, vbi Turcarum Imperator,
ea virbis parte, in qua sepulchrum san-
ctum visitur, duo exstrui templa, &
Mahumedanis sacris dedicari iussit.
Sunt, qui existiment, eam ob rem id
eum cœpisse consilii, vt maiores in po-
sterum ab his redditus accipiat, qui reli-
gionis caufsa ex Christianis huc peregrini-
nari confueuerunt. *Tumultus, qui in*

*vrbe Ægypti Cairo, ob enectum impe-
ratoris Turcarum iussu præfectum, te-
mere a plebe excitatus fuerat, sedatus
iam est, posteaquam alter ex insula Cre-
ta ad vrhem illam accessit, ei muneri
imposternm præfuturus.*

Tripoli, a. d. 12. Iuli. Piratæ nostri,
Algirenses iuxta & Tunitani, omnes
fere e mari ad portus suos mœsti redie-
runt, quod lembos expeditissimos a
Melitenibus interceptos, æstiuia hac
expeditione perdiderint. *Beius Tri-
politanus, Gianum Coggiam,* qui nos
fere sub iugum miserat, penitus e di-
tionibus nostris depulit. Ausus enim
manus cum nostris conserere, tam in feli-
citer rem gessit, vt clam ex acie exce-
dere & consenso nauigio quodam Gal-
lico, fuga sibi consulere necessum ha-
buerit. *Tetuano nuntiatur, Maurorum*
pira-

piratas, duas Anglorum naues intercepisse quidem, sed a portibus tamen prohiberi, eo quod naues illas, contra pacis cum Anglis initæ, leges, in prædam egerint.

Mantua Carpetanorum, a. d. 19. Aug. Pacis, quam cum Anglis iniimus, conditiones in dies magis magisque ratas haberi videas. Ordines Hispaniæ, Cortes vocant, proxime conuentus agent solemnes, vt publica fide, Neapoli & Sicilia, atque prouinciis cæteris, quas Romanorum Imperator armis sibi viudicauit, ante cedere possit *Philippus*, quam pacificatio Cameracensis cœperit, quam ineunte demum Octobri inchoatum iri contendunt. *Leedius Marchio* in Biscaiam profectus est, vt præsto sit, cum *Fontem Rapidum* & *Fanum S. Sebastiani* nostris reddituri sunt Galli. Militum cohortes, quæ ad Pompeiopolim fuerant collectæ, versus Biscaiam profectæ sunt, quas duæ legiones dimacharum sequentur, vrbes illas præsidio firmaturæ.

Barcinone, a. d. 7. Aug. Ex quo tempore, cum publicis nobis conflictandum fuit calamitatibus, mercaturæ, qua olim maxime florueramus, rationes in dies difficiliores fieri, animadvertisimus. Tres propemodum hebdomades præterierunt, quod nullam ex Oriente nauem conspeximus in portu. Evidem Catalauniæ proceres, qui non ita pridem conuocati, frequentes huc conuenere, quotidie de re publica restauranda confilia grauiter conferre videmus, quam ob cauissam aliquos ad Philippum regem ablegauerunt, qui precibus eum adoriantur, vt medelam adferat labantibus communis patriæ rebus; sed quid responsi illi ab eo tulerint, nondum habemus exploratum. Ne quid autem pestilentis morbi, quo Prouincia labo-

rat, in has regiones irrepere queat, onne, quod nobis olim cum ea fuit, commercium, penitus sublatum est.

Liburni, a. d. 29. Aug. Augusta Taurinorum accepimus, Telone Martio omnium eorum numerum initum esse, quos pestilentia superstites reliquit, repertosque esse 4978. ac in his quidem viros 967; feminas 434; pueros 760; puellas 1117; quibus accendi sint 500. homines ruri adhuc degentes, cum 1000. aliis, qui in Nosodochiis sunt, iamque salubritatem pristinam recipiunt; vt adeo 6478. admodum homines a pestilentia vrbs illa residuos seruauerit, cum ante eam calamitatem 24000, incolarum numerata sint.

Parisiis, a. d. 1. Sept. Dux Beruicensis, qui exercitui aduersus pestilentiam excubanti præest, nuntio missso regem docuit, virus illud latius diffundi cœpisse, iamque in agro Milhaudensi 30. circiter vicos occupauisse. Misericordia propter ea sunt mandata ad eum, vt aucto militum numero, regionibus malo illi obnoxiis, fossas prætendat, ad quadraginta plus minus millaria extendendas. Sed vanam esse credunt industriam omnem, qui gentis peccata non dissimulant, quippe quibus puniendis, hanc calamitatem, Deus, iustus scelerum vindicta, immiserit. Nudius tertius, *Philippus Moreau*, equestri ordine natus, capite pœnas luit, quod adulterinam monetam conflare ausus est. Rumor manat *Marchionem de Nesle Majly*, Romam missum iri, vt illic oratoris munere perfungatur. Ceteroquin rex serio mandauit militum præfectis, vt ad suas se turmas quamprimum recipient.

Londini, a. d. 24. Aug. Posteaquam ad aures peruenierant procerum, qui regi

regi sunt a consiliis sanctioribus, emanare in vulgus, quæ in secreto con cilio de rebus societatis Austri disputata fuerint, & litteris iam scribi a typotheta; Cartereto protinus datum fuit negotium, vt mitteret in officinas typographicas, qui omnia inde exempla secum aportarent. Illi nihil cunctati tribus ad id præparatis vehiculis se contulerunt ad typographum, qui diarium, vt dicitur, Londinense, litteris impri mit, apud quem & tria millia libellorum, qui typis iam exscripti erant, inuenierunt, quos omnes secum absule runt, & in ignem coniectos, tradiderunt flammis. At enim hac ratione prorsus aboleri non potuerunt omnes, quandoquidem magna eorum pars pri die fuerat diuendita, qui aliquoties deinde prelis subiecti, per omnes fere prouincias disseminati fuere. Hoc autem scripto omnia continentur, quæ coram secreto concilio professi sunt argentarii & societatis Austri præfeci. Caussam autem, quamobrem hæc omnia propalata fuere, esse, aiunt, quod aliqui ex secreto illo concilio, magno persequuntur odio Aisladium, qui illos, quanquam ipse fuerit ex iis, qui res societatis Austri recognoscunt, iniustitiæ cuiusdam adcausasse dicitur; quod ægre illi ferentes, quibusdam ex amicis suis adfirmasse dicuntur: se omnem daturos operam, vt quæ acta fuerint, in publicum exirent, vt ab omni iniustitiæ suspitione purgarent eos posteris, qui secretiori concilio hoc tempore interfuerint. Ceterum, quum Carteretus a Wilkinio typographo, & librario Pelio sciscitaretur, quisnam auctor sit huius libelli? se aliquid eius rei scire, vterque negauit, quare etiam postquam Molesworthus, Comitis Sunderlandii cognatus, qui litteras, qui-

bus Catonis nomen præscriptum est, huc usque promulgasse dicitur, cum duobus aliis, ex procerum senatu, patribus, (id quod omnibus mirum videbatur,) fidem suam pro iis interposuerat, iterum dimissi fuerunt.

Lipſia, a. d. 4. September. Litteræ Warsouia ad nos perlatæ, Pontificis legatum Grimaldum ad iter sese accinxisse, commemorant, vt Archinto, qui in eius succedet locum, in ipsis Poloniæ finibus occurrere, & sermones cum eo de variis rebus conferere queat. Præfules, Warmensis, & Plosensis ex morbo, quo graviter decubuerant, iam prorsus conualuerunt. *Hamburgi, a. d. 5. Sept.* Elitteris, Holmiæ scriptis, pacem quidē nunc Sueciæ redditam, intelligimus, quibus tamen ea legibus fuerit constituta, nondum adhuc resciscere potuimus. Nam quoniam illæ Suecorum rebus haud usquequa fauere videntur, vix futurum existimant rerum periti, vt ante solemnem pacis promulgationem, aliquid eorum, quæ Neostadii sancita fuerunt, in lucem exeat. Aliæ autem, quas ex eadem vrbe accepimus, litteræ, sat & quis conditionibus pacem Suecos obtinuisse, nobis adfirmant, & id modo ab utraque pacifcentium parte agi, perhibent, vt nanciscantur, qui publica fide pro pacis initia diuturnitate spondeant.

Genuæ, a. d. 30. August. Rumor hic percrebuit, tres naues piraticas Tripolitanorum in altum exisse, cum sex celiacibus. Prope Drepanum eosdem piratas barbaros ex duabus nauibus exscendisse, ac pescatores quatuor secum abduxisse. Qui urbem nostram incidunt, Galli genere, publice DEO grates persoluerunt, in facello, quod hic habent, pro restituta regi suo valetudine; solemnitate vero finita, Nobilissimus

simus *Soignius*, Gallorum Legatus, Hispanicum, atque Britannicum Oratorem lautissimis exceptit epulis. Fama est, Hispaniae regem centurias aliquot militum Septam, ad firmando eius urbis praefidia, mittere debere, eo quod Mauriam denuo obsidere intendunt. Praefatum nauis Anglicæ, quæ nuper Alone iure publicata fuit, capitis esse damnatum ferunt, sed sperare eum, fore, ut Stanhopius pro eo preces suas interponat. Nauigium quoddam indidem appulsum est, 13. dierum spatio, cuius vectores docuerunt, 6. naues Hollandorum in eodem portu latere, ut piratas Algieranos obseruent. Accesserunt præterea & tres nostræ uaves Alone, duæ Angliæ Olyssippone, vna Gallica, & quidem ex Tabarca Insula: qua occasione ab hominibus nostris Alone venientibus, intelleximus, nauem quidem illam Anglicam custodiri adhuc, verum de Praefecti eius damnatione, nihil quicquam se inaudiuisse testabantur omnes.

Venetii, a. d. 5. Sept., Nocte, quæ diem lunæ secuta erat, sacrilegi scelera-tique homines aliqui, perfozzo templi cuiusdam apud RR. PP. Philippinos, pariete, ampullam argenteam, alias que res, usibus sacris dicatas, abstulerunt. *Excellentiss. Comes Colloredo*, legati Cæsarei munere fungens, Mantua huc rediit, vna cum duobus filiis suis, quorum alter *Gonzagam Marchionissam*, iamque suam sponsam, indidem secum adduxit. Stipabant eos multi ex ordine equestri, quos omnes, nec non alios quam plurimos præcipue dignitatis viros, vna cum Coniugibus nouis, *Comes*, quem diximus, *Colloredo*, po-

stridie eius diei conuiuio opipare para-to, adhibuit.

Vienna, a. d. 20. Sept. Proxime præterlapsa Iouis die, Imperator *Illusterrimum Baronem Stampferum*, qui in montanis Hungariæ ciuitatibus ratio-nes suas administrabat, summum arbitrum (*Commissarium vocant*) in omni-bus eiusdem regni metallis, constituit. Ante hosce paucos dies, cursor *Brunswiga* extra ordinem missus, accesserat, ut nuntiaret, alterum Legatum Cæsa-reum, ad conuentum Brusuensem missum, Baronem Kellerum, vitam cum morte commutasse: cuius in locum Imperator *Nobilissimum Langenbacium* sta-tim substituit.

Posonii, a. d. 23. Sept. Cæsar Augu-stus, *Illusterrimum & Reuerendissimum Comitem Nicolaum Brankouitch*, hucus-que *Vener. Cap. E. Castriferrei Lectorem* & *Can. ob eximias*, quibus excellit, vir-tutes, quasque *Eminentissimus Cardinalis de Saxonia*, Regi optimo, de meliori commendauit, *Abbatia S. Saluatoris de Kapornak*, dignitate donauit, quam ei Incl, Cameræ R. H. A. solemini ritu, a. d. 9. Sept. confirmauit. *Feliciter!*

Alia, a. d. 24. Sept. Ad *Excellentiss.* Regni nostri Palatinum, mandata nu-per ab Imperatore missa sunt, ut con-uocatis circa medium futuri mensis Octob. in liberam & regiam ciuitatem Posoniensem, Regni Statibus, tum de tributis, anno proximo soluendis, tum de ratione partiendorum hibernorum, cum iisdem consultet atque transfigat. Adfuturus in congressu illo est *Excel-lentiss. Comes Sebastianus Franciscus Thürheim*, ut mentem ac voluntatem Imperatoris, in hoc negotio, Statibus exponat.